

# ORTHODOXIS LECTORIBUS.

## ΜΙΚΡΟΠΡΟΔΟΤΙΟΝ.

**R**em Sacramentariam , a pluribus fuse lateque nimis , ab aliis Laconico stylo pertractatam , media inter utrosque via incedere volentes , in his dogmatico-polemisticis prælectionibus vobis legere proponimus , nec dubiam spem concipimus , ut , quemadmodum nihil jucundius , nihil antiquius Catholica Fide habetis , sic prælectiones istas amore & benevolentia summa excipiatis ; res enim Sacramentaria , de qua in his prælectionibus agitur , non solum ad confirmandam fidem , non solum ad mentem erudiendam ; verum ad componendos quoque mores aptissima , a Catholico Viro jure meritoque exigere videatur majus in legendu studium , & intensiorem in acceptando benignitatem .

De excellentia autem rerum , quæ in hoc Opusculo pertractantur , pluribus differere superfluum ducimus ; excellētia enim est , ut illa major in nostra Christiana Religione haberi sane non possit . Sacraenta enim sunt opera Christi Domini , qui est nostræ Religionis Auctor ; & ea quidem supernaturalis ordinis , ad quem divinus Institutor elevavit , ut nobis per ipsa gratiæ suæ thesauros erogaret .  
 „ Vasa quædam sunt , inquit Angelicus Doctor S. Thomas in „ Prologo lib. IV. sent. „ vasa quædam sunt , Christi sanguini „ nem continentia , scaturiginem spiritualis aquæ in vitam „ æternam salientis , ac demum fontes illi Salvatoris ab „ Isaia Propheta , his verbis prænuntiati : Haurietis aquas